

DOMICILIA SOCIETATIS & MISSIONES IN NOVA  
FRANCIA.

ET effe cum servis suis, ac militibus Dominum,  
exitus comprobavit. Nam hoc anno MDCCIII.  
ineunte, cum hæc scribimus, præter Quebecense  
collegium, numerantur in hac *terra deserta* prius &  
*in via* triginta & amplius florentissimæ cultissimæque  
Missiones nostræ Societatis. Prima in conspectu Que-  
beci, decimo ab urbe lapide, Lauretana dicitur. Al-  
tera in pago Tadoufaco sedet: ad ripam fluvii Lauren-  
tiani, leucis infra Quebecum LX. verfus ortum. Tres  
aliæ supra Quebecum ipsum, longe procurrunt in Bo-  
ream, circa lacum S. Joannis: una in eo loco, qui à  
septem insulis nomen habet; altera, in pago Chigouti-  
mino; tertia, secus amnem Saguenæum. Excoluntur  
ibi Montagnæi, Papinachii, Mistassini, & aliæ passim  
gentes errabundæ. Jam, si verfus obeuntis folis  
partes & fluminis Laurentiani fontem tendas, occurret  
in ejus ripâ septentrionali pagus Trium fluminum  
dictus, quia ibi tria quædam flumina confluunt: abest  
Quebeco septem octove dierum iter. Florebat illic  
Algonkinorum Missio longe pulcherrima, sed hanc  
vinum igne vaporatum & stillatum, à mercatoribus  
Europæis, facilem inde quæstum male captantibus  
invectum, vehementer labefactavit inducta ebrietate.  
Pensat hæc damna virtus ac pietas Abnakiforum.